

CAPUT XXXIV.

DE

ACTIONIBVS. FEVDALIBVS.

*Inter actiones intuitu feudi adbuc
constituendi et intuitu feudi iam consti-
tuti competentes.*

De actionibus, quae intuitu feudi vel domino contra vasallum, vel vasallo contra dominum; vel utriusque aduersus tertium competunt, iure feudali nihil singulariter est dispositum. Suplenda est igitur haec materia ex iure ciuili. Generalis solummodo haec notanda distinctio, quod actiones feudales dentur, vel intuitu feudi adhuc constituendi, vel intuitu feudi iam constituti. Usus in eo consistit. Actiones, quae intuitu feudi constituendi dominum inter et vasallum competunt, fundant se in contractu vel nuda promissione, per quam de feudo constituendo inter dominum et vasallum conuenit, ideoque semper sunt personales, ex illa scilicet conuentione, ex qua obligatio ad feudum constituendum oritur. Actiones vero, quae intuitu feudi iam constituti, h. e. per uestitutam iam collati, vel per successionem deuoluti, competunt, se fundant, partim in iure reali et possessione inter dominum et vasallum diuisa, partim in iure personali ex contractu feudali iam consummato profluente; et hinc partim sunt reales, tam petitoriae, quam possessoriae, domino contra vasallum et vice versa, utriusque etiam contra tertium competentes, ad ius reale et possessionem vindicandam; partim

[p. 532.]

Oo 3 per-